Romana, seu Interamnen. Fideicommissi, super portione Ioannis Pauli.

Stantibus &c.

Dubium = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.*

Reu. Pater. POST quam bon. mem. Sifonius Spada Hæredes sibim scripserat Franciscum Mariam Nepotem ex fratre, exclusa Lesbia Nepte, & substituerat masculos ab eodem hærede descendentes pro conseruatione natu ralis agnationis, & masculi deficientibus vocauerat Domitiam, Angelam, & Antoniam filias ipsius heredis iam natas tempore Testamenti quamuis in infantili ętate constitutas, considerauit, quod purificata, proùt euenit substitutione in fęminis illæ essent finis familiæ, vt ait Legislator *in l. pronunciatio §. Vlt. ff. de verbor. sign f.* quamobrem transitũ faciens ad vlteriorẽ substitutionem masculorum ex dictis fœminis cum onere assumendi nomen, & insignia *de Spada*, oculos vertit ad Lesbiam Sororem primi hęredis, quàm solummodò proptèr masculum excluserat, & aduertens, quod iuxtà ętatem, & gradum numerationem, non erat prudentis intellectus credere, siuè supponere, aùt Lesbiæ superuiuentiam ferè impossibilem, aùt eius filiorum immediatorum valdè improbabilem in remotissimo tempore incoandi agnationem artificialem in filijs masculis ex dictis fœminis infantibus, & Testatoris proneptibus nascituris, ideò prò faciliori adimplemento suæ voluntatis dandi aliquam partem etiam lineæ dictæ Lesbiæ, voluit absque vlla restrictione ad eius filios, vt consuccederent etiam illius descendentes, per hæc verba = *Et cum dd. masculis ex d. fœminis agnatis nasciturıs in stirpem, vt supra per Fideicommissum successuris succedant etiam in stirpam, filij, & descendentes masculi ex Lesbia, filia q. d. equitis Fannij Spada, & Sorore Germana eiusdem D. Francisci Mariæ eiusque legitimo Matrimonio nascituri coniunctim, & æque, ac si ex dd. dd. fœminis agnatis descendetibus ex masculina linea d. D. Francisci Mariæ nati forent in perpetuum, & in infinitum, obseruatis omnibus, vt suprà dictis masculis, & filiabus fœminis Agnatis obseruari mandatis.*

Cum autem strepitus quæstonis agitatæ intèr dd. fratres de Abbatibus ex vna, & DD. Comites de Spada ex altera super portione vacante per obitum Marchionis de Vitellijs filij superius mentionatæ Angelæ, excitauerit in tertia instantia D. Ioannem Paulum

A de

de Setaccis Principalem nostoum; qui erat sui iuris ignarum ad promouendas suas actiones, descendit etiam ille in arenam, & præuia congrua commissione admissionis ad causam, facta petitione tertiæ partis totius fideicommissi, obtinuit in propositione habita die prima Aprilis 1715. immissionem ad medietatem dictæ portionis vacantis cum reseruatione iurium super altera portione deriuante ab Antonina, & integralitèr occupata à dd. Com:de Spada, sed in repropositione causæ die 2. Martij proximè præteriti, sicuti RR. PP. suffragantes infirmandam esse censuerunt Sententiam, quam præcedenter obtinuerant DD. de Abbatibus], ità existimantes, quod pari passu ambulent iura D. de Setaccis, recesserunt à decisis, sed in hac tertia pugna ad primo loco decisa redeuadum esse confidimus.

Non enim vna, sed duplex est via, quæ nostrum Principalem ducit ad obtinendum intentum; Altera scilicèt, quatenùs iterùm victoriam reportent præfati DD. de Abbatibus, & hanc non aggredimur, sed remissiuè nos habemus ad ea, quæ illi met erunt deducturi, quia quatenùs sint victores, neque ipsi, qui in actis renunciarunt fauore Principalis, neque PR. PP. dubitant de bono iure D. Setacci iuxtà sensum in secunda decisione expressum §. *Oriri*; solaque inter eos aderat discordia quoad vnam ex tribus vncijs huic parti ascitis in prima decisione, circà quam satis, superque scripsimus in vltimo restrictu *benigne reassumenda*.

Altera via quam nostrum est patefacere stat in eo, quod etiam præscindendo ab articulo qui discutitur inter eosdem DD. de Abbatibus, & DD. Com. de Spada, vtique D. Setaccius suam habeat claram, & expressissimam vocationem tanquam prouenìens ex linea Lesbiæ consuccedendi cum masculis ex Angela, & Antonina.

Probatur euidentèr hæc propositio ex littera Testamenti superius designata vbi disponens voluit, quod = *cum dd. masculis ex dd. fæminis Agnatis, succedant etiam filij, & descendentes masculi ex Lesbia*, dum ergo idem d. Setaccius vtramque habet qualitatem, hoc est masculinitatem, & descendentiam, meritò debet consuccedere, vt cęteris allegatis firmat indiuidualitèr, *Rot. coram Priol. decis* 283. *num.* 1., *in Balneoregien. Fideicommissi* 13. *Iunij* 1712. §. *Indubitata coram R.P.D. Aldrouando, & in eius confirmatoria* 5. *Februarij* 1714. §. *Validitate siquidem coram Eminentissimo Scotto*.

Nil obstante, quod non sit masculus immediatus Lesbiæ, sed mediantè Armantia, quia qualitas immediata quæritur, & disceptatur, quando Testator vocauit filios alicuius personæ, at, quando addidit *descendentes* res est extrà aleam dubietatis, *vt docent Ripa in l. ex facto* §. *Si quis ità à num.* 5. *ad* 8. *ff. ad Trebell. Faber de error. pragmatic. decad.* 28. *err.* 9. *num.* 7. 8., *&* 9. *Rot. in dicta*

Bal-

Balneorigen. §.*Non obstante* ibi = *Nec attenditur an unum,vel duplex medium fœmininum intercedat ad effectum comprehensionis sub nomine descendentium masculorum* , *&* *in Perusina Fideicommissi* 8. *Aprilij* 1715. §. *Suppeditauit in fin. coràm R.P.D. Falconerio* , vbi hæc adduntur = *Alias confunderentur termini,& prò synonimis oporteret habere strictam appellationem filiorum, ac latam collectiuam appellationem descendentium* .

Quæ si vera sunt vocatis simplicitèr filijs descendentibus , seù descendentibus tantùm , procùl omni dubio veriora euadunt, quando in mentione facta filiorum , & descendentium , interposita est dictio,*Et*,vt in casu de quo agitur ibi= *filij,et descendentes ex dicta Lesbia* , nàm hoc casu illa dictio, stat , nàm hoc casu illa dictio stat *ampliatiuè* , *& disiunctiuè* , ad designandam mentem esse Testatoris , quod si aperiatur substitutio tempore,quo adsint filij,illi succedant , si verò filij immediati prædecesserunt , succedant descendentes qui non sint filii , *vt per Toxt. in l.sæpe* 53. *ver. cum vero ff. de verb. signif. Bald. in l.* 1. *num.* 15. *ver. in dubio autem ff. de iust. & iur. firmat Rot. coram San. mem. Alex. VIII. decis.* 22. *num.* 28. , *&* 29. , *& decis.* 337. *à num.* 18. *ad* 22. *par.* 17. *rec.*, vbi ità exemplificat = *Si milites* , *& Doctores dispositio complectitur, non requirit vtriusque qualitatis concursum sed procedit disiunctiue qualibet ex d. qualitatibus* , *item si de cippo* , *& agnatione &c.*

Cui veritati in iure absolutissimæ non aduersatur , quod vocati fuerint filij, & descendentes *ex Lesbia eiusque legitimo Matrimonio nascituri* , quasi quod illa dictio *Ex* vim habeat denotandi causam immediatam , sicut etiam idem operari videantur verba *ex eius Matrimonio legitimo* , vt in contraria decisione §. *Nullum &c.* Siquidem , quando vocantur solum filij *ex Titio, & ex legitimo Matrimonio*,illa dictio regularitèr designat filios immediatos , & quidem ex parentum Matrimonio legitime natos,secus verò si dictum fit = *Descendentes ex Titio* , quia cum implicet in terminis quod verbum = *Descendentes* , præsertim, vt in casu , vnitum cum clausulis = *In perpetuum* , *& in infinitum* , ideòque complexiuum plurium graduum, prædicetur ex vna persona tantùm,hinc tam dicta dictio *ex quam ex legitimo eius Matrimonio* non possunt denotare causam immediatam , sed stant demonstratiuè ad originem , eo modo, quo de fide est hæc propositio , quod omnes simus descendentes ex Adamo , eiusque legitimo Matrimonio cum Eua, & tamen longissimè sumus distantes à dicta causa , vt distinguendo casum , à casu , vltrà Antiquiores authoritates allegatas in antecedentibus scriptis , & signantèr *Peregrin. de fideicommifs. artic.* 22. *num.* 54. , *& Rot. coram Seraphin. decis.* 934. *num.* 5. , *&* 6. , obuia sunt , & nouissima huius Sacri Auditorij Iudicata in dicta *Balneoregien. Fideicommissi* 13. *Iunij* 1712. §. *Contrarijs coram R.P.D. Aldrouando* = ibi = *quicquid enim dicendum foret si Testator*

loquutus fuisset de filijs ex Brigittà argumentum certè nihil stringit in casu de quo agitur, vbi quęstio est in Terminis vocationis descendentium &c. ac in longè durioribus in dicta *Perusina Fideicommissi* §. *Suppeditauit post med.*, *&* §. *Seqq. coram R.P.D. Falconerio, & bene firmauit nostra* 1. *fauorabilis decisio* §. *Quin indefinita*.

Hinc penitus insubsistens conuincitur discursus decisionis contrariæ sub dicto §. *Nullum*, *&* §. *seq.*, quod nimirum vocatio Fideicommittentis inceptiuè dirigatur in filios masculos dictæ Lesbiæ, & deindè protrahatur ad vniuersam descendentiam masculinam à dictis filijs masculis per masculos proficiscentem, vndè cum nati non fuerint isti filij masculi dictæ Lesbiæ, quæ solum reliquit Armantiam Matrem dicti Setaccij, caducatum remanserit fideicommissum quoad illius lineam per defectum principij ad firmata per *Rot. in Auenionen.*, *seù Carpentoraten. Fideicommissi de Tertullis* 2. *Iulij* 1706. §. *Si autem*, *&* 21. *Martij* 1707. §. *Præmisso cor. R.P.D. Lancetta*.

Quoniam ad tollendum ęquiuocum latens in dicto discursu recurrendum est iuxtà communem DD. Sententiam, ad distinctionem duorum casuum, quorum primus est, quando agitur de Primogenitura, vel agnatione, & tunc verum est, quod principium descendentiæ vocatæ sumi debeant à masculo ex traditis per *Rot. dec.* 90. *num.* 7., *& seqq. & dec.* 218. *num.* 11. *&* 12. *par.* 11. *rec.* sed hic non est casus noster, quia Testator non ordinauit Primogenituram, & nos versamur in substitutione ab ipso facta post agnationem extinctam. Secundus verò est casus de quo agitur, quando idem Testator non dependentèr ab aliqua conditione iuxtà *cons. Oldrad.* 21. sed pure, & directè vocauit filios, & descendentes masculos ex fœmina ad hoc, vt in eis renouetur agnatio per modum fictum, & per artem, & tunc principium huius vocationis non est necesse, vt sumatur à masculo immediato, sed quidem ab illo masculo, qui talis erit de tempore apertæ substitutionis siuè fuerit immediatus, siue mediatus, siue ab alio masculo, siue alia fœmina descendat; Id circò admittimus, quod dato principio substitutionis in masculo, qui debeat nomen, & arma assumere Testatoris, postea vocatio descendentium masculorum in infinitum protrahatur ad uniuersam masculinam descendentiam, sed absolutè negamus, quod si purificetur substitutio in vlteriori descendente masculo, obicem ei faciat prouenientia à fœmina cum fideicommissi caducatione, quod esset contrà communissima principia superiùs firmata, & delere posset *Fulgosij consilium*, adeò vnanimitèr hodiè amplexum, vt *in his terminis firmat Palm. nep. alleg.* 93. *num.* 11. *Rocc. disp. iur. cap.* 27. *num.* 8., *&* 23. *Rot. coram Merlin. decis.* 206. *num.* 14., *seqq.*, *& decis.* 228. *num.* 2., *&* 3., *& Romana Fideicommissi de Alueris super reseruatis* 19. *Iun.* 1711. §. *Sed quæstionis coram R.P.D. Crispo*, vbi obseruat, quod

quod alias voluntas Fideicõmittentis expressa in vocatione ampliatiua filiorum, & descendentium facilè efficeretur elusoria.

Hæc tanquàm verissima agnouerunt RR. PP., ideòque reuera contraria decisio vnicè regitur ab illo supposito, quod similis esse debeat substitutio filiorum, & descendentium Lesbiæ, cum substitutione masculorum ex dictis Antonina, & Angela, quemadmodum ergò in eis firmarunt Testatorem exegisse qualitatem masculinitatis in filijs immediatis, ità existimarunt id ipsum dicendum esse in filijs immediatis Lesbiæ recedendo à proprio sensu verborum.

At hoc argumentum primo tollitur ex littera Testamenti, & secundo loco retorquetur. Tollitur enim, quia similitudo desumitur in decisione §. *Oriri*, ex quo filij, & descendentes Lesbiæ vocati sint ad consuccedendum cum masculis ex dictis alijs fœminis, coniunctim, & equæ, & sic à virtute dd. dictionum = *Cum*, *etiam*, *coniunctim*, *& æque*. Quæ quidem dictiones non sunt prædicamenta *qualitatum* requisitarum in personis, quæ succedere debent, nec cum eis quicquam commune habent, sed certò certiùs sunt prædicamenta *quantitatis*, & ideò intèr eas adest quoque admixtà alia dictio *in stirpes* in decisione omissa, quæ paritèr denotat quantitatem, sicut dictio *eque*, equalitatem *ad clar. Text. in l. interdum ff. de hæred. instit. ibique scribentes*, ergò prætensa similitudo quoad assertam qualitatem immediatam ex Lesbia euanescit cum suo falso supposito *Rot. decis.* 283. *num.* 8. *coram Priol.*

Rursùs similitudo, & qualitatis repetitio nunquam datur respectù eorum, in quibus concurrit diuersitas *rationis*, *personarum*, *& graduum*, vt admonent *Honded. cons.* 57. *num.* 33., *& seqq. lib.* 1. *Altog. cons.* 54. *num.* 28., *& plur. seqq.*, *& alijs cumulatis in puncto Rot. d. decis.* 283. *num.* 4. *coram Priol.* ibi = *Corruit obiectum, siquidem Testator in descendentibus ex Taddeo masculinitatem ex masculo expressisse non legitur, quamuis in descendentibus Fratrum de Simonettis talem qualitatem exoptauerit &c*, , & infrà ibi = *Sed, e conuerso hereditas in duas partes fuerit diuisa, prorsus excluditur d. qualitatis repetitio stante diuersitate rationis, personarum, & graduum*.

Inter filios autem ex Antonina, & Angela, à filijs ex Lesbia adesse diuersitatem personarum, & graduum constat ex arbore, nec potest controuerti, ergo est durissimum contrà vim litteræ, & super additæ vocationis descendentium supponere in mente Testatoris cum gradum diuersitate concursum in succedendo filiorum immediatorum ex proneptibus infantibus nasciturorũ, cum filijs immediatis Lesbiæ neptis, & quidem cum tali restrictione voluntatis, vt si Lesbia masculos non haberet, sed solum fœminam; expressa vocatio descendentium vestita cum clausulis perpetuatiuis penitùs auolasset, quod quisque videt quantum aberret à congruentia, verisimilitudine in Iudicando quærenda iuxtà monitum

Bart. in l. iuris iurandi §. *Si liber. ff. de oper. libert. Alex. consf.* 15. *num.* 4. *lib.* 4., *& Altobrand. consf.* 102. *num.* 2. *lib.* 1.

Quæ quidem incongruentia optimè fuit comprobata in prima decisione §. *Causa igitur* ex ea circumstantia quod tempore Testamenti conditi anni 1632. dicta Lesbia iam erat ętatis annorum 44.,& vnicam habebat filiam Armantiam, quæ attigerat septennium, & ab indè citrà eadem Lesbia sterilis euaserat; Quamuis itaque adhùc posset ad fertilitatem redire, ob deficientiam sex annorum ad annum quinquagesimum, quod est supremum tempus habilitatis procreandi in fœminis, regularitèr restrictum ad annum 45., vt ex *Aristotel., & alijs firmant, prima decisio* §. *Quamuis*, attamen præsumi nequit Testatorem adeo sollicitum conseruandi fideicōmissum in tota congerie descendentium ex Lesbia,voluisse successionem exponere euentui nimis incerto, & irregulari superuenientiæ alicuius masculi ex ea vix possibili, quando potiùs disponentes reflectunt ad casus regulares, & frequentiores, ideoque prudenter uoluit complectere utrumque casum, uel filiorum masculorum Lesbiæ, quatenùs hìc possibilis casus euenisset, uel *descendentium simpliciter*, ut etiam compræhenderet masculos ex Armantia, cum de natura verbi = *descendentes* sit includere pluralitatem, diuersitatemque casuum,& temporum *l. prima verb. semper vbi glos.,& Bart. nu.* 5. *ff. solut. Matrim. Rocc. disp.iur. cap.*12. *n.*23. *&* 15., *& Rot. decis.* 199. *num.* 4., *& seq. part.* 8., *& decis.* 125. *num.* 8. *par.* 10. *rec.*

Neque vis huius argumenti tollitur illa responsione data in secunda *Decis.* §.*Sicuti*, quod nempe idem Testator aliud cum eisdem verbis fideicommissum condidisset anno 1625., quando Lesbia erat in magis florida ætate, quia ex hoc potius argumentum confirmatur, dùm indè assequimur,quod adeò conscius erat fideicommittens Iurisconsultus, quod vocare filios, & Descendentes ex Lesbia in perpetuum,& in infinitum idem esset ac inuitare ad successionem masculos, siuè immediatè, siuè mediatè ab ipsa Lesbia prouenientes, vt superfluum putauerit mutare phrasim in Testamenti renouatione facta, quando eadem Lesbia erat in ætate maturiori cum spe vix probabili alios procreandi filios vltrà Armantiam, spreta prorsùs alià contrariæ Decisionis animaduersione, quod à superexistentia soliusArmantiæ de tempore exarati secundi Testamenti suboriretur præsumptio opposita successioni eius filiorum masculorum, eò quia agnoscens fideicommittens, quod improbabilis esset superuenientia immediatorum filiorum Lesbiæ facilè ei fuisset vocare descendentes ex Armantia: Hæc namque præsumptio locum sibi vindicaret, quandò prætenderentur exclusi immediati filij, qui saltèm erant possibiles ex Lesbia, quod nos nunquàm diximus, nec dici potest absque violatione Verborum,& deuiatione à Voluntate Testatoris, qui substituendo fi-

lios,

lios, & Descendentes ex Lesbia, euidens est, quod voluerit compræhendere vtrumque casum, alterum scilicèt filiorum immediatorum, quatenus possibiliter prodijssent in lucem, & alterum descendentium masculorum, siuè ab illis, siue per medium Armantiæ; & consequentèr vindicata præfata circumstantia ætatis Lesbiæ à responsionibus datis in posteriori decisione, mirificè subsistit argumentio primæ fauorabilis Decisionis, quæ adunquem approbatur *per Rot. dec. 337. sub num. 22. part. 17. rec.* ibi = *erat moraliter, & ferè naturaliter incapax habendi alios filios masculos, & ideò eo respectu testator addidit qualitatem Descendentiæ prò descendentibus ex fæminis*.

Eiusdemque fragilitatis dignoscitur ea circumstantia, de qua in contraria Decisione §. *De cęterò*, quod nempè intèr Neptes Testatoris aderat etiam alia nomine Gratia iàm prædefuncta, relictâ post se Birgitta filia constituta in ætate nubili tempore testamenti, & honorata à fideicommittente particulari Relicto, proùt ipsa Lesbia, & adhùc nulla mentio de ea facta habetur, nec de illius descendentibus Masculis, indè arguendo, quod sicuti disponens posthabuit filios masculos Birgittæ, ità credendum sit noluisse substituere Descendentes masculos Lesbiæ, mediante Armantia, *Rot. cor. Emerix. Iun. dec. 1338. n. 11., & seqq.*

Peccat enim in supposito huiusmodi illatio, dùm tantùm abest Testatorem in particulari relicto æquasse Lesbiam, & Brigittam, vt potiùs nil aliud Birgittæ reliquerit, nisi velum lucubre sub eadem periodo, & eodem modo, quo reliquit famulæ, & è conuersò fauore Lesbiæ legauit habitationem, & reditum ad propriam Domum in casu viduitatis, ex quo patet euidentissimè, quàm diuersa esset affectio ergà dictam Lesbiam quàm erga Birgittam filiam Fannij ex alio matrimonio, & tractatam æqualiter cum famulis; Vndè concurrente inæqualitate affectionis, vis dictæ circumstantiæ corruit, nec potest æquilibrari ad effectum destruendi propriam, & legalem vocationem filiorum, & descendentium Lesbiæ; *vt in simili Rot. dec. 491. n. 17. part. 19. rec.*

Quibus ità firmatis ex diuersitate personarum, & graduum, aggredimus diuersitatem rationis, quæ senper est anima legis ad demonstrandum cur Testator potuerit intellexisse de filijs masculis immediatis Antoninæ, & Angelæ, & non se restrinxisse ad filios masculos immediatos Lesbiæ, illaque est multiplex vltrà iàm deductam ex differentiâ graduum: Primò enim est seriò obseruandum, quod Angela, & Antonina fuerant ipsæmet substituræ antè proprios filios, & è contrà Lesbia nunquam fuit substituta; Vndè nil mirum, si ingresso fideicommisso in Antonina, & Angela vocatio deberet gradatim progredi in earum filios masculos immediatos, & deindè in vlteriores descendentes, nè qualitas masculina in linea ingressa quæreretur per saltum; At respectu filio-

rum,

rum, & descendentium masculorum Lesbiæ non aderat certum tempus succedendi, dùm illi vocantur æqualiter solùm quandò verificata fuerit substitutio post obitum dd. Angelæ, & Antoninæ in earum filijs masculis, vt ex verbis Testamenti in expositione facti superiùs relatis; cùm ergò esset in certissimum an tunc possent adesse, & superuiuere masculi immediati, vel mediati ex Lesbia meritò latissima facta fuit vocatio filiorum, & descendentium, ad hoc vt ille masculus sumi posset ad consuccedendum ex lineâ Lesbiæ, qui fuisset capax consuccedendi iuxtà effectum collectiuæ vocationis descendentium *Bart. in l. 1. num. 5. ff. solut. matr. Menoch. consil. 133. numer. primo, & seqq., & cons. 139. num. 2.*

Secundò ponderandum est, quod fideicommittens exoptauit consuccessionem in masculis descendentibus à Lesbiâ adhoc, vt etiàm illi vnitim cum masculis Antoninæ, & Angelæ pinguiùs conseruarent arteficialem agnationem iuxtà onus omnibus impositum assumendi familiam, & Arma: Cùm autèm in lineâ dd. duarum fæminarum onus iàm fuisset impositum ipsismet fœminis, earumque maritis, & in Lesbiæ lineâ primus in assumendo esse debcret ille, qui consuccessisset, nil mirùm, si inchoata renouatione agnationis in Parentibus, illa esset continuanda à proprijs, & immediatis filijs, quod alitèr se habet in Descendentibus Lesbię, in quibus inchoatio, seù assumptio familiæ fieri debebat à primo, qui consuccessisset, itaùt ad intentum Testatoris nil afficeret an iste primus esset immediatus, vel mediatus, & procederet ab alio masculo, vel à fęmina, cùm in huiusmodi arteficio alitèr sentiendum sit de initio, alitèr verò de progressu, vt indiuidualiter obseruat de *Luc. de lin. legal. art. 10. num. 24.* ibi = *Cùm fictio solùm cadat in ipso instanti assumptionis, non autèm in progressu, qui nihil differt a natura Monac. decis. Florentin. 71., & 72., & Rot. coram Ottobon. dec. 252. num. 10., & seqq.* ibi = *Præsertim quia non militat vna, eademque ratio in ingressu fideicommissi in lineam proximiorum, quæ militat in eius progressu, cum primo casu ponatur persona, in qua fideicommissum formatur, in progressu verò conseruetur qualitas fideicommissi agnatitij à Testatore apprimè contemplati = & in Balneoregien. Fideicommissi 13. Iunij 1712. §. Non obstante coràm R. P. D. Aldourando.*

Tertia differentia habetur ex verbis testamenti, vbi Testator agnoscens, quod soli masculi immediati ex Lesbiâ deriuassent à fæmina agnata, qualis erat illa, non minùs quàm essent agnatæ Angela, & Antonina, & de cęterò non essent masculi ex agnata, illi, qui exoriri poterant ex Armantiâ, ideò ne dubitaretur de eorum vocatione dixit consuccessuros ex lineâ Lesbiæ habendos esse = *ac si ex dictis fęminis agnatis &c. nati forent*, quæ sanè verba fuissent impropria, & superflua in sensu composito, & restrictiuo ad

mas-

masculos immediatos Lesbiæ, qui procul dubio æque fuissent descendentes ex Agnata, vt patet ponderanti.

Quarta demum ex illa animaduersione, quod quando Testator considerauit masculinam qualitatem in generato, & generante, nunquã vsus est nomine *descendentium* in toto contextu testamẽti, sed repetitis vicibus vocauit *filios masculos*, *& ex eis masculos*, vt aduertitur in alia Decisione emanata intèr DD. Comites de Spada, & DD. de Abbatibus §. *Atque id ipsum*; Vndè si respectu lineæ Lesbiæ mutauit phrasim simpliciter, & directè vocando filios, & descendentes masculos exindè dignoscitur, quod voluerit iuxtà propriam indolem inuitare masculos, siuè à masculis, siuè à fęminis deriuantes, quodque in ingressu eorum consuccessionis non curauerit descendentiam per medium masculi, quemadmodùm eam non requisiuit vocando adoptatos, arrogatos, vel aliquem nobilem Interamnensem subsidiariè inuitatos, vt benè arguit *Rot. d. dec.* 252. *à n.* 9. *ad* 11. *cor. Otthobon.*

Neque hæc prætensa similitudinaria substitutio desumi potest ex illis verbis = *& seruatis omnibus supradictis masculis*, *& filiabus fœminis agnatis obseruari mandatis* = Nam huiusmodi exceptio est ità infirma, vt nullum super dd. verbis constituat fundamentum contraria decisio, & meritò quidem; quia Testator non mandauit à descendentibus Lesbiæ obseruari ea, quæ obseruari deberent à filijs, & descendentibus dd. fœminarum agnatarum, sed illa onera dd. Descendentes ex Lesbia sufferre iussit, quæ imposuit *supradictis masculis* idest primis hæredibus agnatis, *& filiabus fęminis agnatis*, qualia sunt adimplementum legatorum, & alia onera perpetua, nec non assumptio cognominis, & Armorum absque mixtura familiæ de Spada, quod onus adeò luculenter, & sollicitè demandauit dd. fœminis agnatis earumque Muritis vt reliquis ommissis respondet *Rot. dec.* 144. *num.* 10., *&* 11. *part.* 7 *rec.*, *& alibi passim*. Cum ineptum sit credere Testatorem ex dd. verbis exoptasse easdem qualitates in descendentibus ex Lesbia, quas requisiuit in filijs ex alijs fęminis agnatis, quos ibi nunquam nominauit, vt de se patet.

Remanet nunc, vt retorqueamus argumentum deductum à similitudinaria substitutione descendentium Lesbiæ cum masculis Angelæ, & Antoninæ si subsisteret, & retorsio est clara, quia similitudo desumi debet retentis extremis eo modo, quo illa designata sunt à disponente, qui posuit ex vna parte solos filios masculos ex dd. duabus fęminis, & ex alia non posuit solos filios Lesbiæ sed copulatiuè *filios*, *& descendentes*, quod profectò extremum ad firmandam similitudinem scindendum non est, ergo eadem similitudo sumi non potest intèr filios vnius, & filios alterius: Et ratio cur in vno extremo adsint soli filij, & in alio *filij*, *& descendentes*, aperta habetur ex hactenùs deductis ob graduum diuersitatem, &

in-

incertitudinem temporis consuccedendi, & hinc indigitando Testator extremorum diuersitatem addidit, vt diximus, quod descendentes Lesbiæ haberentur, ac si ex dictis alijs fæminis nati forent; Vndè semper, semperque magis verum est, quod concurrant diuersitates personarum, graduum, & rationum ad firmandum, quod qualitas immediata non sit repetibilis, nec applicanda descendentibus ex Lesbia, vt vltrà authoritates suprà allegatas optimè concludit *Rot. cor. Cerr. decis.* 885. *num.* 13., *& in rec. dec.* 151. *num.* 24. *part.* 5., *& in Auenionen.*, *seù Carpentoracten. Fideicommissi de Tertulles* 10. *Decembris* 1715. *cor. R.mo Molines* §. *Vltrà quod* ibi = *Non officiente, quod Testator indicauerit, suam mentem fuisse, vt substitutionem masculorum procreatorum à suis filiabus regularetur ab altera masculorum Bartholomæi, & Antonij &c., quia cùm agatur de separata substitutione continente alterius generis personas, expressa formula verborum diuersa ab illa, qua in antecedenti substitutione leguntur expressi ibidem vocati &c. dici potest, quod substitutio non sit restringenda, & qualificanda à terminis præcedentibus*.

Ex his itaque clara esse videtur vocatio nostri Principalis, ac modo sermonem habere deberemus super altera inspectione suspensionis fideicommissi; verum cum de hac satis superquè loquuti fuerimus in nostro restrictu distributo die 2. Martij mox elapsi, neque fundamentis à nobis ibi allatis fuerit exaduerso vlla data congrua responsio, ideò supplicamus pro illius benigna reassumptione, atque ad illud nos remissiuè habemus.

Quare &c.

Ferdinanuus de Signoribus.)
Ignatius de Gazzolis.)Aduoc.
Ioannes Titoliuius.)
Io. Iacobus Vrsinus.



R. P. D.

CERRO

Romana, seù Interamnen. Fidei-commissi super portione Ioannis Pauli.

P R O

Illmo D.Io:Paulo de Setaccis,

C O N T R A

Illmos DD. Comites Bernardinum, Cæsarem,& alios de Spada,ac R. P.D.Alexandrum,& alios de Abbatibus.

G.

Restrictus Facti, & Iuris.

Typis De Comitibus 1716